

mortuorum et carnalium affectuum, quibus velut calceis terram contingimus. Hoc autem fit per penitentiam, quod etiam indicavit Dominus dum ante institutionem, et distributionem eucharistiæ lavit pedes discipulorum; ut ea re indicaret, communicaturis purificandos esse affectus animi, necnon sæculares curas ac cupiditates abjiciendas.

Præpterea calcei exuendi, hoc est, rationes humanæ et proprius ac carnalis sensus circa mysterium s. eucharistiæ ejusque perceptionem. Prohibitus est Moyses accedere ad rubum, quia curiose et parum religiose ad scrutandum mysterium ignis in rubo voluit pergere, jussus proinde est ponere calceos, ut reverentiam exhiberet divinæ majestati, utque magna animi demissione audiret divinum oraculum; quo fine etiam Josue idem facere jussus est, Jos. V. Ergo accedens ad s. eucharistiam exuat ratiunculas et argumenta a sensibus nostris ducta, quibus cœlestia metiri et quandoque calcare volumus. Adeat cum humilitate, ex obedientia erga Ecclesiam, quæ hoc potissimum tempore præcipit communionem. Nudis pedibus incedere olim servorum erat: tales nos appareamus in conspectu Christi, ut servi, inquam, non ut domini. Adeamus cum veneratione, removens a nobis, quidquid lutosum et oculis Dei indignum est.

IV. Vacandum ab operibus servilibus, saltem in tantum, ut vacare unusquisque devotioni nunc requisitæ possit, ita nimirum ut non solum patres et matres familias, sed eorum etiam familiares seu domestici ab hoc non impediuntur. Sane ob eam causam olim tota sancta hebdomada, necnon quæ sequitur paschatis, solemnitas et festiva fuit; ut habetur in constit. S. Clementis, l. VIII. c. XXXIII. ubi SS. Petro et Paulo ea constitutio adscribitur: *Magna hebdomada tota et ea quæ hanc sequitur ferientur*. Ad hæc jure canonico, c. conquestus, extrav. de feriis præcipitur ut dictis quatuordecim diebus: *Omnis judicialis strepitus conquiescat, nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat*. Idemque in jure civili et codice Theodosii confirmatur. Hinc S. Chrysost. hom. in magnam hebdom. cit. ait. « Nos non solum hanc hebdomadem veneramus, sed et imperatores nostri orbis. Neque id leviter et perfunctorie, sed vacationem civitatum magistratibus concedunt, ut liberi iis curis, omnes istos dies in spirituali cultu absument, ideo et tribunalium januas ocluserunt. Cesset, inquit, omnis controversia, et contentio et pœnæ species, ferientur aliquantisper carnificum manus, in commune ad omnes pertinent bona, quæ Dominus fecit; fiat et aliquid boni a nobis servis. »

Neque hoc solum honore eam venerati sunt, sed et alio nequaquam hoc inferiore. Imperatoriæ litteræ emittuntur, quibus dicitur, ut incolæ carceris catenis exolvantur, ut quemadmodum Dominus noster, cum apud inferos esset, omnes detentos a morte liberavit, ita et servi pro viribus, quod possunt, conferentes, quo imitatores sint misericordiæ Dominicæ, eximant detentos et vinculis sensibilibus, cum spiritualibus nequeant.

Graviter igitur errant et a majorum avia pietate deviant, qui sacratissimam hanc hebdomadem in novis vestibus parandis, in domo et supellectile mundanda, in cœmendis et apparandis carnibus consumunt. Conscientia mundanda, virtutum vestes parandæ, pascha nostrum Christus immolandum, meditandum et comedendum est. Magna ista sunt, totum requirunt hominem. Certe mater nostra Ecclesia totam se his diebus convertit ad memorandam et plangendam nobisque inculcandam Domini nostri passionem. Quod etiam de ea prædixit Zacharias, capit. XII. dicens: *In illa die magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Aladremmon in campo Mageddon*. Planctus iste erat super Josiam, regem optimum, cæsum a Pharaone in campo Mageddo. Ita ergo Ecclesia plangit mortem Christi, eique variis cæremoniis justa quasi persolvit et parentat, simul etiam monens propter peccata nostra Christum crucifixum. Re ipsa enim cum Jeremia (qui in spiritu prævidit Christum a Judeis occidendum, et propterea eum planxit ad finem suarum lamentationum) dicit illud Thren. IV. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*. Est autem Christus spiritus oris nostri primo, quia ut a spiritu vivificatur homo corporaliter, ita spiritualiter a Christi gratia. Secundo, quia sicut sidus lunæ est quasi spiritus rerum sublunarium, dum ejus incrementum ac decrementum, et ipsæ crescunt ac decrescunt, uti conchylia, sanguis in homine, frondes ac pabula, ut testatur Plinius, lib. II. cap. XCIX. ita vita et salus nostra a Christo pendet. Propterea nigris paramentis vestit et obvelat crucem et altaria: sacerdotes in officio passionis diaconorum tantum vestes assumunt, quemadmodum et in festo expiationis olim summus sacerdos communibus minorum sacerdotum vestibus utebatur, Levit. XVI. ut habitum lugentis et pœnitentis exprimeret. Ab officio feriæ quintæ ad officium sabbati campanæ non pulsantur, ut suo silentio et ipsæ luctum edant, quomodo etiam astra luxerunt Christi mortem, dum lucem orbi subtraxerunt. Et propterea matutina triduana celebrat in tenebris, in quibus fragorem excitat ad designan-

dam cœli et elementorum commotionem factam in passione Domini, extinguuntur iisdem plures paulatim candelæ ad demonstrandam apostolorum fugam et Christi desertionem, quem unica superstes representat. Denudantur et altaria, ut recordemur Christum nudatum vestibusque spoliatum in crucem esse actum; omnia ista clamant illud Jeremiæ: *Recordare paupertatis et transgressionis (Chald. amaritudinis) meæ, absinthii et fellis*, Thren. III. Omnia hæc vobis vestigia passionis Dominicæ imprimere deberent. Memorabile exemplum scribit Thomas Cantiprat. lib. II. apum, cap. de martyre quodam qui captus a gentili tyranno, semper incessit gemebundus. Causam igitur tristitiæ cum rogasset tyrannus, respondit ille: *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continue in corde meo passionis ejus stigmata porto*. Quam vocem ut insanam, indigne ferens tyrannus, jussit ei cor evelli ac discindi; in eoque reperit imaginem Christi crucifixi. Unde abjurata perfidia credidit in Christum. Gestum hoc credibile fit tum ex fide probati auctoris, tum ex aliis similibus, uti ex stigmatibus S. Francisci, ex imagine crucifixi reperta in corde S. Clare de Montefalco, uti narrat oculatus testis Thomas Bozius, l. XV. de sign. Eccles. cap. III. tom. II.

Ergo auditores, ne degeneres simus a majoribus nostris. Resumamus annum luctum, et quasi anniversaria communis nostri parentis parentalia celebremus. *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in hac die, peribit de populo*; quia se prolem non ostendit optimi illius Parentis, etc.

CONCIO IV.

PRÆPARATIO PROXIMA AD S. COMMUNIONEM.

I. Munditia cordis. — II. Fames spiritualis. — III. Reverentia. — IV. Humilitas. — V. Gratiarum actio.

THEMA.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. XXI.

Quando intueor pompam Christi triumphalem in hodierno evangelio, videre mihi videor eundem Christum Dominum venire ad nos de cœlo in s. eucharistia. Utrobique enim video summam humilitatem summæ gloriæ conjunctam. Summa Christi humilitas claret, dum e monte Oliveti descendit Jerosolymam sedens super asinam: summa interim gloria, dum obviat ei turba, sternens viam vestibus et palmarum ramis, ingeminans *Hosanna*, etc. Quis unquam imperator

triumphavit super asinam? Et quis tanto honore interim exceptus est? Nunc videamus Christum venientem in eucharistia. Nonne ibi de cœlo descendit ad nos in terram in exiguis sacramenti speciebus latens, nullo externo splendore conspicuus? Et interim tamen ante ipsum in eucharistia existentem prosternuntur reges et pontifices cum Ecclesia universa. Propterea rectissime dum consecratur et elevatur s. eucharistia canitur in ecclesia idem ille hymnus, quem occinuit illi turba in priore illo triumpho: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis*. Porro quoniam hoc tempore ingreditur in corda nostra triumphator iste per s. communionem, superest ut videamus qua ratione, quo honore eum excipiamus. Id vero nos docebunt turbæ hodiernæ.

I. Exuerunt vestes straveruntque in via, qua iturus erat Dominus, utique ne sordibus et luto aspergeretur. Et quid sibi hoc vult aliud, nisi ut cor nostrum, quo recepturi sumus Dominum, expurgemus ab omni inquinamento, non mortalium tantum peccatorum (quod omnino necessarium) sed quantum fieri potest, etiam venialium, necnon affectuum inordinatorum ad pristina peccata, sensualium desideriorum, sæcularium cogitationum et eujuscumque terrenæ labis; ut ita non solum cœlesti illi hospiti debita exhibeamus honorem, sed et nos mereamur accipere ab eo cœlestem hospitii mercedem. Cum enim is puritatis amantissimus sit, quo fuerimus puriores, eo erimus digniores tanti hospitis præsentia, et quam secum affert, gratia. Audiamus S. Augustinum, serm. CCLII. de tempore: « Rogo vos, fratres, (inquit) numquid est aliquid qui in arca sordibus plena voluit mittere vestem suam. Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in animam, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi eucharistia suscipitur? » Tanta est hæc res, ut etiam in veteri lege non uno modo præsignata fuerit. Quid enim sibi voluit, quod præcepit Deus, Levit. XIV. ut panes propositionis coquerentur de simila seu farina candidissima? Ponerentur super mensam purissimam? Imponeretur eis thus lucidissimum? Nonne quia panes illi typus erant eucharistiæ, ut exponit S. Hieronymus, in cap. I. Malach. Cyrillus, catech. IV. mystag. Damascenus, l. IV. c. XIV. et alii? Quid quod etiam ibidem lucernæ quæ lucebant coram mensa propositionis, (juxta id Exodi XXVI. *Pones contra mensam candelabrum*), de oleo purissimo jubentur præparari et imponi candelabro mundissimo? Nonne ut sciremus purissimum esse debere omnisque expertem labis, qui pa-

nem illum cœlestem cordi suo vult imponere? Quid sibi vult quod manna non nisi super terram rore matutino veluti mappa candida instratam decidit de cœlo, ut habemus Exod. XIV. præsertim in Hebraico textu! Nimirum purus esse debet, qui purissimo Virginis Filio intime vult conjungi; quo modo lignum, quod conglutinari debet alteri ligno, prius radendum est et a sordibus purgandum. Animadvertite Christum Dominum, postquam instituit eucharistiam, delegisse suo corpori munda receptacula. *Cænaculum* in primis, *grande stratum*, ad institutionem eucharistiæ, Marci XIV. Deinde sindonem mundam, qua involveretur corpus deponendum in sepulchro. Sepulchrum denique novum, in lapide excisum, ubi nemo adhuc positus fuerat. Et quid hoc mysterii habet? Nimirum insinuavit Christus se deinceps ab eo tempore diversari apud amicos fideles suos velle, qui honorifice eum tractent et mundo corde suscipiant. Satis nobis sit, quod immaculatus ille agnus in stabulo est natus, quod in vili ædicula nutritus, quod paupere cymba vectus, quod dura sæpe humo reclinat, quod in carcere retrusus, quod in foetido Calvariæ monte crucifixus: jam nunc tempus est, ut nitidior loco eum excipiamus, talis est autem anima ab omni peccati contagione libera et pura. Nemo ergo sit qui non exuat vestem suam, veterem inquam hominem et carnis desideria, removeamus omne lutum, ne parum digne et sine fructu recipiamus Christum Dominum.

II. Iverunt obviam Christo. Solent autem obviam ire adventuro amico, qui ardentem ejus præsentiam desiderant. Hoc ergo faciemus si magno desiderio et spirituali fame ad Christi cœnam accedamus, quo pacto amorem nostrum erga ipsum demonstrabimus, et majore gustu ac fructu cœnabimus cum ipso. At quomodo in nobis excitabimus hanc famem, hoc desiderium? Utique si expendamus, quis et quantus sit, qui venit ad nos Christus, quamque nos egeamus ejus opera et præsentia. Mulier illa Samaritana, ubi cognovit Christum et gustavit aliquantulum de aqua ipsius viva, relicta hydria cucurrit ad civitatem et concitavit cives ut exirent ad videndum eum, Joann. IV. Atqui in eucharistia venit ad nos idem iste Dominus, afferens secum aquam vivam ac salientem in vitam æternam, *O si scires donum Dei, frater, et quis est qui ad nos venit?* Curreres profecto ad civitatem cordis tui et excitares omnes vires tuas ad occurrendum Domino tuo. Quanto desiderio paupereula et desolata sponsa expectaret sponsum divitem ab externa natione redeuntem secumque afferentem

merces pretiosas? Porro anima tua hujusmodi sponsa est, misera et deserta, ubi Christo destituta. Non igitur exultabit, cum intelligit advenire sponsum suum. Nonne exclamabit ad omnes suas vires: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei?* Bene hoc expendit Laurentius Medices ex prosapia ducum Hetruriæ, qui dum fatali lecto decumberet et s. eucharistia ad eum multoties expetita deferretur, e lectulo quasi exiliens: *Procul a me absit*, (inquit), *ut patiar Jesum meum, qui me finxit, qui me redemit, ad me venire, tollite hinc obsecro me, ut Domino occurram*, Ang. polit. in epist. Tanta cum heroem contemplerur et infantes. « Nonne videtis, (inquit D. Chrysostomus, hom. LXXXIII. in Matth. quanta promptitudine parvuli papillas capiunt et quanto impetu labia uberibus infingunt? Accedamus cum tanta nos quoque charitate ad mensam et ad ubera poculi spiritualis, quinimo cum longe majore trahamus tamquam infantes lactantes spiritus gratiam, et unus sit nobis dolor hac esca privari. » Scimus profecto Christum summo desiderio mensam eucharistiæ nobis præparasse: *Desiderio desideravi*, inquit, *hoc pascha manducare vobiscum*, Luc. XXII. Non simus nos segniores ad accipiendum, quam ipse fuit ad dandum. Consideremus una ex parte morbos et miseras nostrarum animarum, ex altera vero præstantiam et efficaciam medicinæ, quam exhibet nobis Christus in s. communione. Nosocomium quoddam est s. eucharistia, in quo curari et abstergi possunt omnes animæ ægritudines, surdi audient, Ephphetha; claudi, Ambula; cæci, Respice; leprosi, Mundare; mortui, Surge, si tamen crebro et debito modo ad illud accedamus. Id vero maximis expensis, sanguine, scilicet suo, erexit nobis Dominus. Quomodo igitur non ægre feret, si tam male licet affecti non frequentemus hoc nosocomium, vel invitati accedamus?

III. *Cædebant ramos de arboribus, et sternerant in via*, venerationis nimirum gratia, ne super nuda humo incederet, sed virore frondium strata et ornata. Hoc etiam nos faciemus, si cum timore et reverentia ad sanctam communionem accesserimus. Ea vero consistit primo, in modesta corporis compositione ad venerationem Christi ordinata; si in genua coram eo procidamus, si manus erigamus, si leviculum vestium luxum removeamus, si oculos ad terram deprimamus, si detecto capite totoque corpore ad severitatem et pietatem composito Dominum nostrum excipiamus. Sic enim ramos arborum, id est, superbi hominis supercilia quodammodo cædemus, et Christo substernemus, sic terram corporis nostri frondibus ornabimus; quo modo S. Elisabetha

regina dum rei divinæ interesset, coronam capiti suo detrahare solebat; indignum dicens videri, ut dum Christus vepribus redimitus in ara crucis litaretur, ipsa regio cultu assisteret, apud Raderum, in Bavar. sancta et pia, p. I. Nota est etiam historia illa Rudolphi Austriaci tum comitis Habsburgensis, post imperatoris, qui sacerdotem cum viatico salutari ad ægrum properare videns: *Me vehi*, inquit, *et te, qui Salvatorem meum portas, pedibus incedere? Indecorum vel impium sit, conscende, et equum hunc cape*. Ipse pedestes subsecutus est, placuit hic descensus Deo adeo, ut eum postmodum ad imperii culmen evexerit, Lipsius, in monit. pol. l. I. c. IV. Et quid mirum terræ principes prosterni ante regem cœli et terræ? Infimus cœli angelus longe nobilior est omnibus terræ regibus. Et quid legimus Isaia cap. VI. Ibi unus Seraphinorum (de supremo angelorum ordine) calculo seu carbone ignito desumpto de altari, purificaturus os prophetæ, foreipe eum tulit, non nuda manu tetigit. Non propterea sane, quod manus ejus adurere posset (caro tantum uri potest, non spiritus) sed quia calculus ille typus eucharistiæ erat, ut docet S. Justinus, in resp. ad quæst. XLIV. et S. Damascenus, libro IV. de fide, c. XIV. ubi ait: *Carbo non simplex lignum est, sed unitum igni, sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati*. Quod si igitur supremus quidam angelus typum et umbram eucharistiæ tanta reverentia tractavit, cogitate nunc quid ipsi eucharistiæ honoris exhibendum sit. Audivimus etiam alibi ex Horatio Tursellino arbores silvestres sese incurvasse versus ædiculam S. Virginis (in qua ipsa Christum Dominum conceperat et nutrierat) cum angelorum manibus deferretur ultra mare Hadriaticum in Picenum agrum. Si hoc arbores, si domunculæ Salvatoris, quid nos homines ipsi Salvatori?

Secundo, consistit in timore reverentia, quo nos occupari decet, ne quid in nobis forsitan reperitur, quod oculos divinæ majestatis offendat. Scimus enim Ozam subita morte plexum esse, quod arcam irreverenter attigerit, II. Reg. VI. tametsi bona ejus intentio foret, retinendi scilicet arcam a bobus declinatam. Scimus in Bethsamitis maximam stragem editam, quod eandem arcam curiose inspexissent, I. Reg. VI. Scimus illum Amanem, quia cum odio reginæ, ad mensam ejus accessit, regis et reginæ indignationem incurrisse et e medio abreptum patibulo suspensum esse, Esth. VII. Summus præterea sacerdos gemens afflictoque corde ingredi sancta sanctorum solebat, timens ne forte ob peccatum aliquod occultum a Deo occideretur,

ut scribit Abulensis, in Exod. cap. XXXVI. Eodemque modo nostri sacerdotes ingressuri ad altare precantur: *Aufer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum muris mereamur mentibus introire*. Quæ omnia ostentunt quanto cum timore et reverentia prodire nos oporteat in conspectum Christi Domini nostri.

IV. *Commota est universa civitas ad ingressum Christi, dicens: Quis est hic?* Fiet hoc in nobis, si expendamus majestatem advenientis Domini, et abjectionis nostræ. Quis enim est hic, qui venit? Hic est, *ante quem columnæ cœli tremunt*, Job. XXVI. *quem laudant astra matutina, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur*, Job. XXXVIII. *ante quem orbis est velut momentum stateræ, et gutta roris antelucani*, Sap. XI. Et qui sumus nos? Sumus, umbra, pulvis, nihil. Nonne igitur exclamabimus cum humili Francisco: *Deus meus et omnia, quis es tu, et quis sum ego?* Et cum humili Baptista tametsi alioquin inter natos mulierum maximo: *Tu venis ad me?* Ego ad te habeo venire, Matth. V. Et cum humili Miphiboseth, qui cum audisset a Davide: *Tu comedes panem in mensa mea semper*, respondit: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* II. Reg. IX. Et quanto major Dominus noster Davide servo suo? Quanto pretiosior ejus mensa? Imitemur S. Hieron. qui extremum communicaturus de lectulo se deponi in terram jussit, et sacco operiri, demum conspecta eucharistia prostravit se in terram pronus, tum in genua erectus, pluries percussit pectus suum dicens: *Tu es Dominus meus et Deus meus*, ut scribit Eusebius Cremonensis de ejus vita et transitu. Quid quod etiam Henricus octavus Angliæ rex, licet ab apostolica sede descivisset aliaque plurima mala patrasset, affectionem tamen et reverentiam erga s. eucharistiam minime deposuisse fertur, siquidem paulo ante mortem sub una specie communicaturus, cum e sella assurgeret Christi corpus adoraturus et Zwingliani, posse regem illa in valetudine sedentem, eucharistiam percipere dicerent: *Si me, aiebat, non modo usque ad terram dejicerem, sed et sibi ipsam terram submitterem, ne sic quidem satis honoris sanctissimo huic sacramento viderer delaturus*. Refert Nic. Sanderus, l. I. de schism. Angl.

V. Accinebant laudes Christo et clamabant: *Hosanna*, q. d. *Vivat rex*. Item: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hunc in modum post communionem agenda sunt Deo gratiæ pro cœlesti beneficio. Diximus supra Hebræorum pontificem non sine pavore solitum fuisse ingredi in sanctuarium (quod semel tantum in anno fiebat)

ejus ergo post egressum instruebatur ab amicis convivium in gratiarum actionem, quod salvo et incolumi egredi datum esset, ut scribit Abulensis, Exod. XXIV. quæst. XV. Hujusmodi convivium, sed spirituale instituamus etiam nos, peracta communionem, et invitemus vires animæ et corporis ad agendas Deo gratias, quomodo S. Monica sub communionem in aerem elevata dicere solebat: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Ac primo invitemus intellectum, agnoscendo et pensando beneficium acceptum dicendoque cum Israelitis: *Manna? Quid est hoc? Quale manna? Qualis panis? Unde ad nos missus? Quorum manibus confectus? Quanti saporis et dignitatis? Vel cum Daniele: Recordatus es mei, Deus; qui videlicet pavisti me in lacu, mirabili pulmento*. Vel cum Paulo eremita: *En Dominus prandium nobis misit, vere pius, vere misericors!* Quas enim gratias ageremus, si de cælo, si ab angelo, si a corvo (ut illi) panem caperemus? At panis eucharisticus de cælo et a Deo est, imo ipse Deus est. Invitemus deinde memoriam: simus memores hujus beneficii; recordemur illius mannae, gomor, seu mensuram in arcam cordis nostri reponamus memori mente, inscribamus animæ nostræ (quemadmodum caupones solent ea conclavia, in quibus aliquando divertit imperator, inscribere imperatori) *Habitatio summi Dei*, inaccessa mundo, carni et diabolo. Invitemus voluntatem, offerendo nos et omnia nostra Dei voluntati et directioni, ut in posterum nobis ipse dominetur (quomodo solent cives adventani ad se principii suo offerre claves urbis) ut pro libitu omnia nostra velit administrare, claudere et aperire. Invitemus vires corporis et sensus nostros, ut omnes Christo inserviant (quomodo imperamus servis, cum magnus aliquis amicus nos invisum venit, ut omnes ei ministrent) et cum eo dulciter conversentur orando, meditando, legendo, silendo, etc. nihil denique in cor admittant, quod molestiam creare hospiti nostro possit. Quid enim diceret tu, si amicus tuus, quem forte longo itinere ivisti salvatum, te reciperet quidem hospitio, verum: *Uox relicto te exiret per posticum ad alia negotia, vel rursus te expelleret?* Fecerunt sane hoc Jerosolymitæ qui mane cum applausu et concursu exceperunt Christum, vespere omnes deseruerunt et post quinque dies omnino expulerunt. Et quid profuit illis cum júbilo et pompa induxisse eum in urbem, si postea eundem ejecerunt ad Calvaria montem? Quid profuit cæcidisse ramos de arboribus, eique substravisse, si postea collegerunt spinas et arundinem, quibus eum illuderent et cæderent? Quid profuit dixisse: *Quis est hic?* si postea clamave-

runt: *Reus est mortis?* Quid profuit clamasse *Hosanna, Benedictus, etc.* si postea clamaverunt: *Tolle, tolle?* Non plus utique, quam Judæ accepisse a Christo buccellam et mox admisisse in cor diabolium. Ergo, auditores, per amorem pauperis illius regis, qui ad vos in humili specie panis eucharistici diebus his venturus est, rogo vos et obtestor, ut ne Judam imitemini, nec versatiles Judæos, sed potius Christi discipulos et innocentes pueros, etc.

CONCIO V.

QUID SIBI VELINT PALMÆ.

I. Palma typus Christi. — II. Typus Virginis. — III. Typus Ecclesiæ. — IV. Typus justi.

THEMA.

Alii cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Matth. XXI.

Palmarum ramos fuisse, quos præferebat et in via sternebat turba, indicat Joannes: et agnoscit Ecclesia, dum huic diei a palmis nomen tribuit. Nec sine magno mysterio; neminem enim, opinor, latet, palmam apud veteres omnes victoriæ typum fuisse. Idcirco ss. martyribus apictæ in manus palmæ, juxta id Apoc. VII. *Palma in manibus eorum*: idcirco apud Romanos coronabantur victores palmis, auctore Pierio, lib. L. hierogl. præterea palma in medio stadii loco eminentiore in mensa proponebatur, ut ex S. Chrysost. et aliis docet Petrus Faber, l. II. agonist. cap. XXV. Causam dat Plut. in sympos. q. IV. *In certaminibus, inquit, placuit palmam signum esse victoriæ, quoniam ejus indoles est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat, sed fortius assurgat*. Atque hæc etiam causa videtur esse cur hodierna die palmam benedicat Ecclesia et nobis gestandam præbeat, nimirum ut in ea contemplerur Christi victoriam; neque non ut filios suos excitet ad strenue pugnandum contra hostes animæ, præsertim hac hebdomade. Videamus ergo quibus potissimum palma hæc debeatur et conveniat.

I. Debetur imprimis Christo Domino mortis domitori, qui propterea triumphat ante certamen in hodierno evangelio, quia mortem morte sua certissime superaturus erat.

Solus ipse verissime ac propriissime dicere poterat id Cant. VII. *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus*, (quod de ipso exponunt plerique). Palma enim typus crucis est, quia ardua

et aspera ac quodammodo spinosa, ideoque ascensu perdifficilis, interim tamen fructum dulcissimum attulit Christo et nobis omnibus. Debetur ergo palma Christo, quia palmam hanc conscendit. Cæterum sponsa etiam comam Christi sponsi sui comparavit palmæ, seu ipsius foliis: *Comæ capitis ejus*, inquit, *sicut elata palmarum*, Cant. V. Elatas palmarum vocat ramulos foliorum crispantes et quasi cincinnatos, ut exponit Vegas, in Apocal. capilli vero in ss. litteris cogitationes hominum denotant. Vult ergo dicere sponsa minimas etiam Christi cogitationes invictas et victorias esse, idque in hodierna Christi triumphantis historia possumus videre. Imprimis eum decrevisset uti vectore asino ad ingrediendum Jerosolymam, uno verbo imo voluntatis imperio asinum sibi procurat. *Solvite*, inquit, *et adducite (eum) mihi, et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos*. Quanta Christi potentia? Quanta victoria? Sua voluntate statim sibi subiecit alterius voluntatem, idque nullis pollicitationibus, nullis effectibus minis. Quis hoc mortalium potest? Deinde appropinquans Jerosolymæ excivit ad se plurimam turbam, cujus laudibus exciperetur, humillimo licet aspectu, sedens super asinam. Magna fuit Samsonis victoria, cum mandibula asini peremit mille viros, Jud. XVI. Sed major multo est ista, qua super asinam vectus commovit totam Jerosolymam, et ad sui spectaculum evocavit plurimam turbam, ac quod maximum est, mira et occulta voluntatis suæ operatione. Demum ingressus urbem et templum ejecit inde vendentes et ementes, evertit quoque mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas. Quam præclara est hæc victoria? Unus et inermis homo tot alios e templo pellit, nemo ei resistere audeat, quia nemo potest: potuit ergo Christus inflectere animos hominum, potuit ad se allicere, potuit terrere et expellere nullis adhibitis machinis aut molitionibus, saltem externis, solo voluntatis suæ nutu: jure igitur capilli ejus palmæ folia dicuntur, jure ei palma debetur, ac licet improbi Judæi palmam hanc exciderint, ea tamen post excisionem suapte vi refloruit. Cujusmodi miraculum reperiri in chora scribit, Plin. l. XIII. c. IV. ubi unica tantum sit palma, quæ ad instar phœnicis avis (unde etiam palma græcæ phœnix appellata videtur) emoritur ac renascitur ex seipsa.

II. Debetur palma sanctissimæ Christi matri. De ipsa enim intelligit Ecclesia verba illa, Cant. VII. *Statura tua assimilata est palmæ*. Et illa Eccles. XXIV. *Quasi palma exaltata sum in Cades*. Palma igitur facta prima, quia invicta, nullis cessit tribu-

lationibus; siquidem et sub ipsa Filii cruce stetit magnanimitè; quo imprimis pertinere illa verba existimo: *Statura tua assimilata est palmæ*. Quantum pondus arbori huic impositum fuisse existimamus, cum Filius de cruce ei valedixit, et pro se Joannem tradidit, pro filio cognatum, discipulum pro magistro, hominem pro Deo? Nequaquam tamen ipsa corrui sub hoc pondere messissimæ commutationis. Deinde quia uti palma nullo unquam tempore pulchritudinem et folia sua (quæ omnia in cacumine habet) perdit, teste Plinio, l. cit. et ib. cap. XX. ita Deipara nullo unquam tempore gratiæ splendorem ac pulchritudinem amisit: omnes etiam suas cogitationes non in terra aut terrenarum rerum contagione inquinatas, sed in cælo et divinarum rerum contemplatione occupatas habuit: quamobrem Cant. VII. regis purpuræ comparentur: *Comæ capitis tui sicut purpura regis*; quia scilicet aurea et regia charitate Deique contemplatione insignes. Tertio, quia sicut palma inferne angustum stipitem, superne vero crassum habet, inferne etiam scabra est, superne vero pulchritudinem suam explicat, ita Deipara, si quæ humana et terrena sunt in ipsa consideremus, humilis et abjecta erat: angusta ei domuncula, angusta et curta supellex: sponsus pauper opifex, parentes itidem plebei, victus ac vestitus tenuis, totaque vita aspera. At si superna et cælestia ipsius dona inspiciamus, videbimus eam longe pulchriorem ac nobiliorem omnibus hominibus. Stirps illi regia fuit, si antiquos parentes numeremus e Davidis familia, virtutes ejus omnes excellentissimæ fuerunt, privilegia a Filio collata mira et stupenda, verba omnia sapientissima, etc. Ac quemadmodum folia palmæ gladii figuram referunt, ita omnia Deiparæ verba gladii sunt et arma ad debellanda vitia. Quando enim dixit: *Quomodo fiet istud?* inertiam nostram resecurit, ut qui sæpe facili labore discere cum possemus, quæ discenda sunt, nolimus ob pigritiam. Dum subdidit: *Quoniam virum non cognosco*, libidinem nostram comprimit. Cum ait: *Ecce ancilla Domini*, superbiam nostram retundit. Cum addidit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, proterviam et inobedientiam castigat. Cum ad Filium dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic?* iracundiam exterminat voce mansuetudinis. Cum adjunxit: *Pater tuus et ego*, ambitionem jugulat. Cum adjecit: *Dolentes quærebamus te*, ineptam mundi lætitiæ redarguit. Cum in nuptiis dixit: *Vinum non habent*, invidiam proscrit et immisericordiam, dilectione proximi et commiseratione. Quando in ea prorupit verba: *Magnificat anima mea Dominum*, ingratitude reprehendit. Quarto, quia ut palma fructus gignit dulces, verum